

causam litigantis, quæ ut plurimum non eadem sunt, sed diversæ. Nihilominus respondeo cum distincte. Vel per ly exakte relevando omnes circumstantias intelligitur relevatio eorum, quæ sunt opportuna, & adaptata peculiari indigentia, captui, ac spirituali profectui personæ interrogatae; & tunc dico, ipsum recte se gerere ita faciendo. Vel intelligitur relevatio eorum, quæ potius importuna sunt, & non adaptata indigentia, capni, ac spirituali profectui personæ interrogatae, & tunc dico, ipsum sic faciendo male se gerere. Ratio primæ partis est, quia gerendo se illo modo, proprio exercet officium Doctoris, ac Medici spiritualis: quæ munia, si discrete, ac ut par est, exerceantur, tantum abest, quod mala sint, ut potius tale exercitium commendetur, ac desideretur in omnibus Confessariis; nam partes Confessarii non restringuntur ad solam officium Judicis, sed extenduntur etiam ad illud Medici, ac Doctoris, ut fatentur AA. commun. Ratio secundæ partis est, quia relevare importuna pœnitentis indigentia, vel captui inepta, & ad ejus spiritualem profectum minime conferentia, proprio quid defectuosum, ac malum est, id enim non est, pœnitentem instruere, spirituales ejus morbos mederi, & efficacia, vel saltem utilia, ei applicare remedia, sed potius frivolis, inutilibus, & fortasse perniciosis eum detinefe discursibus: quod, ut patet, malum est. Hinc in cap. Omnis de Pœnit. dicitur: Sacerdos sit discretus, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati. Et Rituale Romanum inquit: Caveat ne curiosis interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne peccare discant: quod potissimum valet in materia venerea, circa quam commune monitum est, præstare aliquando Confessarium minus perfecte peccatum pœnitentis intelligere, quam illi, vel sibi scandalum parere. Quare si Concionator ruralis exakte relevat omnes circumstantias primo modo, recte se gerit. Si vero secundo, male.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. **P**utat probabiliter Confessarius, pœnitentem examinasse priam conscientiam, ea diligentia, quæ tenebatur, at simul rationabiliter credit, eum omittere aliquod lethale ex inadvertentia, seu obliuione. Q. an teneatur ipsum interrogare.

Respondeo, stando terminis casus, Confessarium teneri illum interrogare, prout tradunt Suarez disp. 32. de Pœnit. sect. 3. num. 7. Avers. eodem tract. quæst. 16. sect. 11. cæterique communiter. Ratio est, quia stante ex una parte nera probabilitate, quod pœnitens semetipsum examinaverit ea diligentia, qua tenebatur; ex alia dubio rationabili, quod ille ex inadvertentia, aut obliuione omittat aliquod lethale, nequit Confessarius pergere ad rectam efformationem judicii circa ipsum, si prius validâ aliqua ratione hoc rationabile dubium elidatur. Hinc cum istud elidi non possit, nisi per attestacionem ipsius pœnitentis, qui in hoc tribunali est reus, & testis; ideo necesse est, ut à Confessario interrogetur. Nec refert, quod interrogatio contingat aliquo modo in supplemen-

mentum examinis, spectantis ad pœnitentem; nam tendit ad exactam rationem judicij Sacramentalis, quam procurare est onus Judicis, & sic Confessarii, qui propterea nil mirum, quod in casu repeatur Pœnitentem interrogare, cum secus nequeat rectum formare judicium de tali pœnitente. Dixi postea, stando terminis casus; etenim si Confessarius non meram probabilitatem, sed moralem certitudinem haberet, quod pœnitens semetipsum revera examinaverit ea diligentia, qua tenebatur, tunc cesso cum Medina de Confes. quæst. 19. Victoria, relato à Leandro de Pœnitentia, quæst. 124, contra Leandrum ipsum, Suarez, Lugum, & alios, ibidem pro se ab eo citatos, Confessarium non teneri interrogare pœnitentem. Ratio est, quia obligatio hujc interrogandi oriuit in Confessario ex obligatione, quam haber pœnitens examinandi seipsum; ideo enim hunc debet Confessarius interrogare, quia debet supplere illius examen, seu examinis defectum, ut docet Puteobonellus de Pœnit. q. 3. art. 2. num. 8. Atqui supposita certitudine in Confessario, quod pœnitens semetipsum examinaverit ea diligentia, qua tenebatur, nullus intervenit defectus per interrogaciones supplendus: Ergo in hoc casu non tenetur Confessarius pœnitentem interrogare, non obstante, quod credat, eum omittere &c. Et ratio fundamentalis est, quia supposita illa certitudine in Confessario, ista crudelitas desinit esse rationabilis. Hinc sicuti non peccat pœnitens, omittens ulterius examen, quando est certus, semetipsum examinasse ea diligentia quæ juxta prudens commune hominum judicium sufficit in ipso, & alii suæ qualitatibus, etiamsi habeat probabilitatem, quod si diutius excusat conscientiam suam, inveniet aliud aliud peccatum clavibus exponendum, ut cum de Lugo, & Tamburino tradidit Puteobonellus loc. cit. num. 4. & nos probavimus anno 1751. ad III. Aprilis; ita neque peccat Confessarius, omissiens in casu interrogare pœnitentem, eo ipso quod est certus &c.

CAS. II. Erubescit mulier fateri quoddam peccatum turpe, de novo commissum. Unde petita, ac obtenta à Confessario facultate ipsi facienda Confessionem generalem, inter peccata anteactæ vitæ, jam absoluta, illud exponit. Q. an satisfaciat suæ obligationi.

Respondeo cum Martinono de Sacram. tom. 3. disput. 50. sect. 1. num. 17. Castropalao de Pœnitentia disp. 1. punct. 19. num. 8. Thoma Hurtado, & alii, probabilius esse, quod non. Ratio est, quia licet esse confessum, vel non i. reputetur circumstantia extrinseca peccato mortali, inspecto secundum suam essentialiam; hujusmodi ramen non reputatur, si peccatum consideretur prout est in materia remota Sacramentum Pœnitentiæ, sub hac enim inspectione est quid valde diversum peccatum morale confessum a non confessu; siquidem non confessum est materia necessaria Sacramenti; confessum vero est pura materia sufficiens, ac libera. Unde fit, quod primum regulariter reticeri non potest; secundum vero potest libere reticeri. Et sic in ratione materiæ unum habet esse diversum ab altero: & per consequens, cum in Confessione materia exponi fideliter debeat secundum illud esse, quod habet, ut pro-

priæ satisfiat obligationi, nequit unum peccatum mortale nondum confessum exponi ad modum eorum, quæ jam fuere absoluta. Atqui mulier exponendo modo prædicto peccatum turpe, à se de novo commissum, istud exponit ad modum eorum quæ jam fuere absoluta, siveque id non exponit secundum esse, quod habet in ratione materiae Sacramenti: ergo non satisfacit suæ obligationi. Accedit, hujusmodi expostionem decipere Confessarium, eique occasionem præbere, ne exerceat, ut oportet, officium Medici, ac Judicis: quamvis enim mulier sic confitendo, voce non dicat expresse, jam se fuisse confessam de tali peccato, id tamen dici implicate, & facto ipso, materiam necessariam operiendo velamine materiae sufficientis, & Confessionis generalis. Ergo suæ obligationi non satisfacit, quidquid ex adverso dicant Diana part. 3. tract. 4. resolut. 62. Joann. de Lugo de Pœnit. disp. 10. sect. 2. §. 1. Giribaldus eod. tract. cap. 1. dub. 5. num. 37. aliisque.

CAS. III. Die festo, in quo magnus adest populi concursus, absolvit Confessarius quosdam pœnitentes, accusantes se de peccatis, de quibus dubitat, an sint reservata, ea ratione, quod peccata dubia non reservantur: generatim vero (ut se citius expedit) quælibet pœnitentem absolvit sub hac tantum verborum forma: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Q. quoad primum, an valide; quoad secundum an licite.

Respondeo quantum ad primum affirmative, supposita dubij rationabilitate; & quod omnem possibilem diligentiam adhibuerit, ad se prius certificandum de veritate: Ratio in primis desumitur à qualitate reservationis, quæ utpote odiosa, restringenda est ad casus certo, non vero dubie reservatos; juxta illam regulam juris in sexto: *Dubia semper ad favores convenienti ampliari.* Secundo, quia si Decretum Clementis VIII. editum anno 1601. excipias, in quo casus Bullæ Cœnæ etiam in dubio reservavit (quod tamen anno sequenti 1602. moderatum prætendunt Puteobonellus de Pœnitentia, quæst. 6. art. 2. num. 15. & alii quamplures) per aliud Decretum ejusdem in quo omissit illas particulas clare, vel dubie contentis, nullus extat canon, nulla lex, nullum decretum præcipiens recursum pœnitentis ad reservantem in casu peccati dubie reservati; sicuti extat quando agitur de peccato certe reservato. Ergo signum est, quod peccata dubie reservata proprie non cadunt sub reservatione, & sic Confessarius valide illos pœnitentes absolvit. Neque dicas, dubium de casu reservato esse simul dubium de jurisdictione in pœnitentem; sed dubius de jurisdictione in pœnitentem, hunc nequit absolvere, ne Sacramentum exponat periculo nullitatis: ergo &c. Siquidem nego majorem cum Girbaldo de Pœnit. cap. 15. dub. 2. n. 13. nam semel, ac casus dubius non est reservatus. Confessarius hunc audiens, est adhuc cerus de jurisdictione in talem pœnitentem, sicuti dubius, an vorum emiserit, certus est de perseverantia sua libertatis. Hinc sicut iste non tenetur eligere partem tutiorem observandi vorum, semel ac factis debitibus reflexionibus, nequit de veritate certificari, sed tuto potest sua libertate perfici; ita nec Confessarius tenetur dimittere pœnitentes, semel ac factis debitibus reflexionibus, ac possibilibus diligentiis, nequit certificari,

an tale, ac tale peccatum revera sit reservatum; sed omni deposita titubatione tuio potest illos absolvere. Bonacina de Pœnit. quæst. 7. punct. 5. §. 4. Suarez, Card. de Lugo, & alii. Quantum ad secundum postea dico, DD. satis commun. affirmare, id fieri licite, adeoque etiam sine culpa etiam veniali, ut videre est apud de Ligorio de Pœnit. cap. 1. dub. 1. num. 430. Ratio est: quia quoad preces sive antecedentes, sive subsequentes nullum extat præceptum. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 3. de iis præcise dicit, quod *lau-dabiliter adjunguntur.* Quoniam vero Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, formam præscribit quoad ministracionem Sacramentorum, & tamen de forma absolutionis inquit: *In confessionibus autem frequentioribus omitti potest Misereatur, &c. satis est dicere Dominus noster Jesus Christus, &c. usque ad illud Passio, &c. in praxi hæc occasione magni concursus dicentur; reliqua tamen, ac præcipue subsequentia, alias non omittentur, secluso alio urgenti, & rationabili motivo, cum ea dicenda præscribat præfatum Rituale Romanum; eaque sit praxis, ac usus, ut communiter dicantur in administratione hujus Sacramenti.*

MENSE MAI.

CAS. I. Pœnitens, de peccatis suis vere dolens, postquam de iis confessis est, & à Confessario absolucionem obtinuit, huic subjunxit: *Padre, no intento obligaros à sigilo alguno; hablad pues de mis inquietudes con quien quisiereis, que yo os concedo una plena licencia.* Q. an Confessarius licite uti queat ista facultate.

Respondeo probabilius negative. Ratio est, quia obligatio sigilli nedum inducta est in favorem pœnitentis, verum etiam in favorem ipsius Sacramenti. Jam vero licet pœnitens possit cedere juri ad sigillum, inquantum hic obligat in favorem sui; non sic tamen inquantum obligat in favorem Sacramenti, & ob reverentiam huic debitam. Nec relevat, quod in cap. *Significasti de Adulti.* Pontifex cum non reprehendat eum, qui de licentia mulieris, penes ipsum confessæ de adulterio, hoc extra propalaverat; ut enim ex Navarro, & Barbosa recte notat Anacletus de Pœnit. dist. 9. quæst. 3. num. 55. tale Capitulum non loquitur de confessione Sacramentali, sed de acta extra Sacramentum, tam per adulterum, quam per adulteram.

CAS. II. Rusticus solet ira confiteri: *Padre, me acuso, si hubiese blasphemado, si hubiese murmurado, &c. quibus auditis, Confessarius non curans de alia expressione, ipsi imponit pœnitentiam, & absolucionem impertir.* Q. an validæ sint istæ Confessiones; & an Confessarius ita se gerens, peccet.

Resp. hujusmodi confessiones esse invalidas, & Confessarium ita se gerentem peccare mortaliter. Ratio prime partis est, quia illæ Confessiones sunt invalidæ, quæ perficiuntur cum materia inepta, ut constat paritate aliorum Sacramentorum. Atqui tales sunt confessiones prædicto modo factæ à Rustico; hic enim præcise dicendo: *Me acuso si hubiese blasphemado, si hubiese murmurado, si &c. nil nisi conditionatum exponit, ac dubium, quod se solo non est materia sufficiens, adeoque inepta ut sola absolvatur: ergo &c.* Ratio secundæ partis colligitur ex prima; nam semel ac dicta materia in-

epta est , & hoc non obstante , Confessarius super illam absolute profert formam absolutionis , non curando , ut simul exponatur aliqua materia certa , nec exquirendo à pœnitente (prout alioquin exquirere deberet) an quidquid est ab eo expositum , sit ab ipso certo commissum . Sacramentum exponit periculo nullitatis , & sic mortaliter peccat . Hinc in hujusmodi casibus debet Confessarius interrogare pœnitentem , an ea , de quibus ita se accusat , revera fecerit , necne ; eumque instruere circa modum , quo debet se accusare ; alias fieri quidem potest , quod simplicitas , ac bona fides pœnitentis excusat ipsum ita confitentem ; non sic vero Confessarium in tali casu eum absolute absolvantem , ut tradunt DD. comm.

CAS. III. Noscit Confessarius ex Confessione constituti in gravi periculo mortis , hunc teneri restituere famam proximi gravissime læsam , ac retractare apud aliquot sacerdtales doctrinam falsam , quam docuit ex ignorantia graviter culpabili . Q. quonam modo cum hoc se gerere debeat .

Respondeo , Confessarium hoc in casu debere infirmum adstringere , ut convenienti modo famam ablatam restituat , & apud illas personas sacerdtales doctrinam falsam retractet , per ipsummet Confessarium , si pœnitens à semetipso id facere non potest , aut per aliam idoneam personam ; adeo ut omnis læsio in fama , & si quod aliud inde detrimentum personæ infamiae evenit , modo possibili resarciantur : & similiter illæ personæ sacerdtales nedum ab insinuato errore retrahantur , sed etiam , si quod aliud eisdem , vel aliis temporale , aut spirituale damnum exinde resultavit , possibili modo reparetur . Ratio utriusque partis est , quia horum omnium ipse infirmus fuit vera & noxia causa , ut cum de Lugo inquit Giribaldus de Rest. cap. 4. dub. 4. num. 20. proindecum ille , qui culpabiliter damnum causat , istud reficere , ac reparare teneatur , inde fit , quod id præstare in casu teneat infirmus per se , si potest : per alium vero , si ex se id facere nequit , siquidem ignorantia non eximit ab hoc onere , quando est graviter culpabilis , ut in casu præsentis . Pellizzarius correctus de Monial. cap. 10. sect. 3. subsect. 1. pag. 378. edit. Rom.

M E N S E J U N I I .

CAS.I. **F**amulus deferit litteram , seu internuntium ad sui heri concubinam . Q. an ob hoc reus sit peccati mortalis .

Respondeo cum distinctione . Vel famulus , deferens hujusmodi litteram , seu internuntium , scit aut rationabiliter dubitat , ibi conueneri turpia , seu tantam missionem ad turpia ordinari ; & in hoc casu dico , ipsum ob hoc reum esse peccati mortalis . Ratio est , quia id agens cum tali notitia , formaliter cooperatur ad ipsam rem turpem ab hero intentam ; quæ siue numquam potest licite fieri , utpote mala ab intrinseco , & si fiat , semper est peccatum mortale , ita neque licitum est idem cooperari ; ac proinde si famulus eidem cooperatur , mortaliter peccat , ac complex est mortalis malitia actionis . Vel famulus prædictus neque scit , neque rationabiliter dubitare potest , &c. & tunc dico , ipsum ob hoc non esse reum peccati mortalis . Et ratio est , quia in isto casu delatio litteræ , seu internuntii res-

pec-

pectu ipsius est res formaliter indifferens , ac per consequens quid insufficiens ad formale peccatum , nedum mortale , verum etiam veniale . Vide Vivam in 51. propos. damn. ab Innoc. XI. ac P. de Ligorio lib. 2. tr. 3. cap. 2. art. 3. num 67.

CAS. II. Sunt duo quorum unus existens extra Ecclesiam , vult furari intra Ecclesiam , & alter existens in Ecclesia , vult furari extra Ecclesiam . Quia circumstantia loci sacri , in quo , seu circa quem , fuit ab iis mentaliter commissum dictum peccatum , sit necessario in confessione exprimenda .

Respondeo cum Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 4. de 6. circumst. Ubi , vers. Solet vero , Sayro in Summ. Pœnitent. cap. 8. num. 18. & aliis , circumstantiam loci sacri esse exprimendam à primo , non sic vero à secundo . Ratio primi est , quia cum actus interior , ab eo concepius non fuerit furandi præcise , sed furandi in tali loco , nempe in Ecclesia , participat , seu contrahit eamdem malitiam specificam , quam importat ipsum reale furtum , factum in Ecclesia . Propterea , sicuti qui realiter furatus est in Ecclesia ; debet hanc loci circumstantiam exprimere , eo quia furto superaddit malitiam specificam sacrilegii ; ita eamdem circumstantiam , & hic debet in Confessione exprimere . Ratio postea secundi est , quia respectu illius actus interioris peccaminosi , ab hoc in Ecclesia concepti locus sacer sensibilis valde accidentarius est ; ac proinde non superaddit eidem malitiam specificam sacrilegii , quæ in Confessione propria exprimenda non est . Ita etiam Navarrus in Enchir. cap. 10. num. 3. Azorius , Sotus , & alii .

CAS. III. Sacerdos existens in peccato mortali fecit aquam lustralem , seu benedictam . Q. an per hoc novum lethale commiserit .

Respondeo negative cum Giribaldo de Sacram. in gen. cap. 5. dub. 5. num. 25. & seq. contra Sayrum in Summ. Pœnit. cap. 27. num. 5. Ratio est , quia hujusmodi benedictio , quemadmodum , & confessio cuiusvis alterius Sacramentalis , non est confessio Sacramenti ; nec tantæ dignitatis , ac sanctitatis , prout haec est , adeo ut paris culpæ reus dici debeat alterutrum conficiens . Propterea hac in re opinio probabilior videtur , non quæ ab omni peccato excusat confitentem Sacramentalia in mortali , siquidem sancta sancte tractanda sunt , ut tradidit D. Dionysius cap. 1. Eccl. Hierarch. versus fin. sed quæ docet , Sacerdotem sic ea confitentem peccare venialiter tantum , cum non agatur de actione , quæ fiat nomine Christi , aut per quam dispensentur merita Christi , vel denique per quam conferatur proprie sanctitas , seu gratia sanctificans . Ex quo inferes , Sacerdotem , qui conficit aquam lustralem , seu benedictam in peccato mortali , ob hoc commisso quidem novum veniale , non tamen novum lethale ; ut etiam DD. satis comm. tradunt de Episcopo conferente Tonsuram , consecrante Ecclesiam , vel calicem , aut confidente sacram Chrisma , seu Oleum infirmorum .

M E N S E J U L I I .

CAS.I. **F**acta secunda denuntiatione matrimonii ineundi Cajam inter ac Sergium , anceps est Berta , an teneatur manifestare , quod Ser-

Sergius tem habuit cum sponsæ sorore, prout hæc ei sub naturali sigillo manifestavit. Propterea consult Confessarium pro dubii solutione. Quid hic responderet.

Respondeat cum distinctione. Vel adest fundata spes, quod si Sergius secrete moneatur de impedimento, matrimonium non contrahetur ante ablationem illius: Vel non adest talis spes. Si adest, inquit, Bertam non teneri manifestare, &c. sed potius de isto Sergium monere vel per se, vel per illam, à qua ipsa intellexit, eum cum ista rem habuisse. Ratio est, quia sic nedium obviatur nullitati matrimonii, verum etiam illæsa servatur fama sororis sponsæ, una cum custodia sigilli naturalis; quæ cum in casu servari possint, debent servari. Si postea non adest talis spes, tunc inquit, Bertam teneri manifestare, quod Sergius rem habuit cum sponsæ sorore. Ratio est, quia juxta S. Thonam 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. motivum obviandi irreverentiae ac nullitati Sacramenti, sacrilegio contrahentium, ac illegitimatis proli nascituræ prävalet obligationi sigilli naturalis, ut etiam tradunt Giribaldus de matrim. cap. 8. dub. 6. Sanchez, Bonacina, & alii. Neque dicas cum Pontio de Matrim. lib. 5. cap. 34. Diana part. 3. tract. 4. resol. 221. aliisque, präceptum denuntiandi impedimentum non obligare, quando vel immanet grave damnum tertio, vel nullum ex denuntiatione resultat bonum ei, cuius gratia factum est tale präceptum. Porro hoc totum evenire in casu, eo quia si fiat dicta manifestatio, inde emergit gravis infamia sorori sponsæ; insuper nullum exinde resultat bonum tum Sacramento, cum sponsis, ac proli nascituræ: fiat enim hypothesis, quod facta illa manifestatione tam Sergius, quam soror sponsæ, negent perfracte delictum commissum, in hoc casu differetur quidem inter ipsos celebratio Matrimonii per aliquod tempus; ast quia delictum à Berta probari non poterit, sponsi tandem contrahent. Contra vero quoad primum de damno, respondeo id quidem verum esse quando damnum grave imminet ipsi manifestanti, seu denuntianti; non vero quando imminet alteri, ni forte hoc sit damnum spirituale aliorum, puta, grave scandalum plurium personarum: de quo non sumus in casu. Ad aliud de non resultantia boni, id nego absolute; ad impediendum namque matrimonium nondum contractum, sufficit unus testis, ex cap. Præterea de Spons. Vide Giribaldum loc. cit.

CAS. II. Sacerdos optime noscit, se esse in Morali Theologia modicissime versatum; ast quia fortuito fuit ad audiendas Confessiones approbatus, exercet hoc ministerium. Q. an tuta conscientia id facere possit.

Respondeo negative. Ratio clara est, quia nempe quoties tale ministerium exercet, exponit se periculo in illo errandi, nedium proferendo sententiam tamquam Judex super causas, defectu scientiæ, ipsi ignotas: sed etiam tacendo ea, quæ tamquam Doctor tenetur docere, ac declarare pœnitentibus, & non subministrando eisdem tamquam Medicus opportuna, & apta remedia pro morbis spiritualibus, quos ipse non noscit. Unde cum exponens se periculo errandi in materia adeo gravi, nequeat dici, quod tuta conscientia id faciat, ideo nec tuta conscientia id facit Sacerdos in casu. Et sane, si graviter peccat pœnitens confiendo peccata sua Confessario, quem scit ignorantem, ac ineptum ad percipiendam eorum gravitatem, ut cum aliis,

aliis, communiter docet Suarez de Penit. disput. 28. sect. 2. num. 9. à fortiori graviter peccat Sacerdos, exponens se ad audiendos hujusmodi pœnitentes. Nec relevat approbatio obtenta; hæc enim, utpote obtenta fortuito per accidens, nec non ex defectu veræ cognitionis Sacerdotis, huic non suffragatur, semel ac iste cognoscit se ineptum ad sacrosanctum hoc ministerium. Ita DD. comm.

CAS. III. Dubitat Sempronius, se esse excommunicatum: Primo, quia suadente diabolo, percussit indutum habitu Clericali, de quo, non obstante omni diligentia exhibita, certo sciri non potuit, an vere sit Clericus. Secundo, quia per plures annos exercens officium vulgo dictum de Contravandista mercimonii causa è Statu Ecclesiastico sæpe extraxit annonam, puta, modo frumentum, modo &c. Q. an vere sit, ob hoc duplex motivum, ac teneatur se gerere ut excommunicatum.

Respondeo negative quoad primum; affirmative quoad secundum, si erat conscius latæ Excommunicationis Pontificiæ contra pœnūtentes extrahere hujusmodi è präfato Statu. Ratio primæ partis ex eo desumitur, quod, cum Excommunication major sit quam maxime odiosa, ac pœna gravissima eidem subjici quis non debet, nisi certo constet de delicto, cui à jure talis pœna annexa est. Sed in casu certo non constat de delicto, cui talis pœna à jure annexa est; siquidem, non obstante omni diligentia exhibita, certo sciri non potuit, an indutus habitu Clericali percussus sit vere Clericus; ergo &c. Accedit, nedium ignorantiam juris, verum etiam ignorantiam facti ab excommunicatione excusare, cum in utroque casu desit contumacia, quæ ad incurriendam hanc pœnam requiritur. Atqui in Sempronio percutiente fuit ignorantia facti, scilicet, an ab ipso percussus esset verus Clericus, cum etiam hic & nunc id ab ipso ignoretur, non obstante omni diligentia exhibita, ergo &c. Denique juxta Bonacinam, & alios, satis communiter excusat à prädicta excommunicatione etiam ignorantia probabilis. Porro hanc fuisse in Sempronio percutiente, ex eo clare colligitur, quod hactenus nondum agnovit, an percusserit Clericum; ergo dici debet, Sempronium in casu non teneri se gerere ut excommunicatum; präcipue cum, juxta dicta, excommunication exigat contumaciam, ideoque spretum quemdam, saltem virtualem, legis, quo quis certo sciatur, se ponere opus sub censura prohibitum; qui certe in nostro casu non fuit in Sempronio: quem propterea dicendum est, non teneri se gerere ut excommunicatum. Ratio postea secundæ partis aperte constat ex variis constitutionibus Pontificiis, nimis Gregorii XIII. Pauli V. Urbani VIII. aliorumque Summorum Pontificum, inter alias pœnas, etiam illam Excommunicationis latæ sententiæ infligentium contra pœnūtentes extrahere prädicta è Statu Ecclesiastico sine debita licentia Summi Pontificis, aut privilegio peculiari ostento: prout eas confirmando, ac innovando quoad omnes, & singulas pœnas, ibi comminatas, & statutas, declaravit Benedictus XIV. motu proprio 29. Junii 1748. inserto constitutioni 53. tom. 1. Bullarii ejusdem. Verum quidem est, quod licet Eusebius Amort de Pœnit. disp. 9. in Indice Excommunicationum latæ sententiæ Papæ reservatarum litt. E.v. Ecclesiastico è Statu, asserat, hanc Excommunicationem reservari Pontifici vi Bullæ boup

Superni Urbani VIII. §. 5. tamen, quantum ex ejus lectione percipere potui, nec ibi, nec in aliis Bullis Pontificiis; ullum verbum inveni, ex quo colligatur, eamdem Excommunicationem esse reservatam Pontifici, vel alii Superiori Ecclesiastico. Item licet quidam alii affirment apud P. Victorianum Præmoli in Catalogo Excommun. cap. 9. num. 32. eamdem esse reservatam Papæ ex consuetudine; tamen neque de hac satis constat juxta relationem mihi factam à pluribus viris doctis, jamdiu versantibus, & agentibus hic Bononiæ in utroque Foro.

M E N S E A U G U S T I.

CAS. I. **M**eruit Cajus, Judicem fore ipsi adversum in decisione litis: propterea confert munus illius concubinæ, ut hæc præsentialiter, aut scripto, vel internuntio, pro eo intercedat. Q. an Cajus liceat id facere valeat.

Respondeo, Cajum non posse id facere, ut concubina pro eo præsentialiter intercedat; bene vero ut pro ipso intercedat scripto, vel internuntio. Ratio primæ partis est, quia si concubina intercedat præsentialiter, exponit se proximo & aperto periculo delinquendi mortaliter una cum ipsomet Judice Amasio. Unde cum nemini licitum sit, etiam pro toto mundo lucrando, alterum exponere periculo proximo & aperto delinquendi mortaliter, eo quia hujusmodi expositio statim ex se mala est, cum ipse amor periculi peccatum sit, ut communiter DD. advertunt super illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit;* ideo &c. Ratio secundæ partis est, quia intercessio, vel commendatio facta etiam per concubinam scripto, vel internuntio, est quid à peccato remotum, & fieri, ac recipi potest, absque ulla, vel minima, prava cogitatione: & si in alterutro, hac occasione, concipitur aliqua prava cogitatio, id est per accidens, ac præter intentionem Caji, cuius actio eam non ingerit, sed prave cogitantis malitia. Hinc sicuti communiter admittitur esse licitum, ex justa, & gravi causa, petere mutuum ab eo, qui prævidetur illud non daturum absque usura; eo quia si hic non dat absque usura, id evenit per accidens, ac ex sola ejus malitia; ita etiam licet Cajo ob eamdem rationem dicto modo penes Judicem intercedere per concubinam, ne adversum illum habeat in decisione litis, usurpono, justæ, ac gravis momenti.

CAS. II. Postquam advocatus in causa principali egit pro mercede in favorem unius ex collitigantibus; agit ex charitate in causa appellationis pro altera parte contraria. Q. An tuta conscientia id facere possit.

Resp. cum Joan. Angelo Bossio de Cons. erron. & opin. tit. 1. §. 28. num. 780. probabilius est, quod non. Ratio est, quia causa appellationis non est causa diversa à principali, sed una, & eadem cum illa; vel saltem est illius sequela. Unde sicut in una, & eadem causa advocatus non potest tuta conscientia agere, pro, & contra: ita si in causa principali egit in favorem unius ex collitigantibus, tuta conscientia agere nequit, etiam ex charitate, in causa appellationis pro altera parte contraria; cum enim noverit secreta causæ, in hac instantia multum lädere poterit partem, quam in priori defendit; vel forte oportebit, eum asserere quod prius negavit, vel è contra:

quod

quod esse non debet; & sic neque tuta conscientia fieti potest.
CAS. III. Pœnitens malitiose rericuit quoddam mortale, cujus tamen reticentia dein magna penitentia ductus, eidem Confessario tale peccatum una cum reticentia in præcedenti manifestavit, sed sine repetitione aliorum mortalium, quæ in priori Confessione exposuerat. Q. an hæc secunda Confessio sit valida.

Respondeo cum dist. Vel quando Pœnitens manifestavit tale peccatum cum præcedenti reticentia Confessario, hic adhuc recordabatur peccatorum quæ in hujusmodi præcedenti Confessione ipsi Pœnitens exposuerat: vel non; si non, dico, hanc secundam Confessionem esse invalidam. Ratio est, quia si Confessarius non amplius recordabatur peccatorum, quæ ipsi exposita fuerant in præcedenti confessione, etiam secunda Confessio non habuit necessariam integratatem, neque Confessarius potuit adæquatum judicium efformare circa statum Pœnitentis; qui propterea utramque debet ex integro repetere, ut valide, ac integre absolvatur. Si postea Confessarius adhuc recordabatur &c. tunc dico, secundam Confessionem esse validam, quia illa reminiscencia peccatorum, qua secunda vice Pœnitens indicavit, se antecedenter penes ipsum jam fuisse confessum, erat sufficiens, ut Confessarius rectum, ac integrum judicium efformaret circa statum Pœnitentis; cujus proinde secunda Confessio est valida. Ita Navarrus, Bonacina, aliquique comm.

M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. **H**abet quis Confessarium ordinarium, cui communia, & levia peccata fatetur, & quoties aliquid grave, seu mortale supervenit, tunc alteri Confessario confitetur, ne ordinarius id sciat. Q. an hæc confitendi methodus sit vituperabilis.

Respondeo per se eam non esse vituperabilem, saltem ut peccaminosam; si Pœnitens cum vero dolore, rectaque dispositione ad utrumque Confessarium accedat. Ratio est, quia uterque est Confessarius legitimus, nec ulla lege præcepit est Pœnitenti, ut ad quem accedit pro venialibus, accedere etiam debeat pro mortalibus. Nec refert, quod Pœnitens id faciat, ne ordinario nota sint sua mortalita: quemadmodum enim non peccat Monialis, si quandoque lapsa in peccatum grave, nolit illud Ordinario detegere, sed Extraordinarium perat, & huic illud confiteatur; ita neque peccat Pœnitens in casu; id enim non fit ad simulandum Ordinario virtutem, & sanctitatem, quod esset hypocrisis; neque ad ordinarium decipiendum, sed ad usum juris, ac libertatis confitendi cui vult, & ad ei occultandum peccatum, cui hoc non tenetur manifestare. Castropalaus de Pœnit. disput. 1. punct. 10. num. 10. Dixi postea, hujusmodi methodum non esse vituperabilem per se, & ut peccaminosam; quia per accidens fieri potest, quod sit animæ Pœnitentis minus proficia, & quandoque etiam periculosa: puta si Pœnitens aliquem Confessarium incognitum adeat, qui nesciat congruam ipsi applicare medicinam. Propterea consultum est, ad eumdem semper accedere.

CAS. II. Confessarius imponit Pœnitenti satisfactionem à principio revera
Nnn 2
jus-